

867. Clerici seu Acolythi Missae inserviant more solito; Sacerdotis vero est assistere ad Missale, vertere folia, praeparare, discooperire, purificare et cooperire Calicem, et coopertum portare ad Sacrarium, vel tradere Clerico ut ad Sacrarium deferat: porrigere Pate-  
*nam* (cum hostia) ad Offertorium, et post Orationem *Libera nos*, abstergere eam, abstersamque Celebranti cum solitis osculis tradere.

868. Ipse vinum et aquam ad Offertorium Calici infundat, ampullam aquae Celebranti benedicendam porrigat dicens *Benedicite Pater Reverendissime*; ipse Calici inhaerentes vini et aquae guttas purificatorio abstergit, cum manus osculo Calicem Celebranti porrigit, ac linteam ad manus abstergendas post *Lavabo*.

869. Dum Sacerdos legit ad Missale, ipse palmatoriam manu tenet, nisi forte Clericus hoc praestet.

870. Assistens genuflectit utroque genu dum Celebrans Hostiam et Calicem elevat (ad quam elevationem posteriorem sublevabit partem Planetae) et ad benedictionem in fine Missae (Vid. n. 666 et 674); dum vero ab una parte Altaris ad alteram transit, et quoties genuflectit ipse Celebrans, uno genu genuflectit.

871. Ministro Provinciali in sua Provincia (idem valet de Custode vel Commissario in respectiva Custodia vel Commissariatu) in Missa privata satis erit, ut unus Minister superpelliceo indutus inserviat. Palmatoria et bacilli vero minime utatur.

872. Diebus festivis et pastoralis Visitationis, ipsi inservire possunt duo Clerici et Sacerdos assistens.

## CAPUT III.

## DE MISSA VOTIVA PRIVATA.

§ I. — *De Missis votivis privatis in genere.*

873. Missa votiva illa dicitur, quae plerumque extra ordinem Officii diei celebratur ex voto, seu devotione sive Celebrantis, sive iubentis, sive petentis, et non quia a Rubricis praescribitur. Potest autem lato sensu Missa votiva appellari etiam illa, quae concordat aliquando cum Officio diei, uti de S. Maria, quando in Sabbato de ea fit Officium; aut dum celebrantur Officia votiva sive Ordini concessa, uti Immaculatae Conceptionis in Sabbato, S. P. Francisci, S. Clarae, etc. semel in mense, sive universali Ecclesiae, uti recentius concessa a Leone XIII Decreto 5 Iulii 1883. Sed ista non cadit sub legibus pro vere votivis statutis: dicitur siquidem ut in festo respectivo ritu semiduplici vel duplici iuxta concessionem, cum *Gloria sine Credo*; et si occurrat in aliqua Vigilia vel Feria proprium Evangelium habente, cum Evangelio eiusdem in fine.

874. Ratione finis, Missa votiva dividitur in Missam privatae vel publicae necessitatis; ratione vero ritus, in privatam et solemnem, Vivorum et Defunctorum, etc. Spectat autem ad solam ecclesiasticam auctoritatem declarare publicam necessitatem.

875. Missa votiva solemnis permittitur, stante causa sufficiente et Ordinarii indictione <sup>1</sup> omnibus diebus,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 19 Maii 1607, ad 14.

exceptis festis et Dominicis duplicibus I classis, Feria IV Cinerum, maiori Hebdomada, et Vigiliis Nativitatis et Pentecostes <sup>1</sup>.

**876.** Missa votiva privata celebrari potest quacumque die Officio duplici non impedita <sup>2</sup>. Excipiuntur autem omnes dies Dominicae et infra Octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi et Nativitatis Domini, Feria IV Cinerum et Hebdomada maior, Vigiliae Epiphaniae, Pentecostes et Nativitatis Domini, ac dies Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, in qua pro Vivis non permittitur.

**877.** Missae votivae privatae pro Sacerdotis devotione quacumque die dici possunt per hebdomadam (exceptis diebus num. praecedenti notatis), tamen hoc non nisi rationabili de causa fieri debet, eo quod Missa quantum fieri poterit cum Officio convenire debeat. Cuique autem diei propria Missa votiva potest assignari, ut Feriae II (nisi dicatur pro Defunctis) Missa de SS<sup>ma</sup> Trinitate, Feriae III de Angelis, Feriae IV de Apostolis, Feriae V de Spiritu sancto vel de SS<sup>mo</sup> Sacramento, Feriae VI de Cruce vel de Passione Domini, Sabbato de S. Maria.

**878.** Color paramentorum in Missis votivis adhibetur ut in respectivis Mysteriorum et Sanctorum festis, excepta Missa votiva SS. Innocentium, in qua, ut in eorum Octava, adhibetur color ruber.

**879.** In votivis de Passione, pro quacumque necessitate, pro remissione peccatorum, ad postulandam gratiam bene moriendi, ad tollendum schisma, contra paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro

<sup>1</sup> S. Rit. C. 27 Martii 1779, ad 20, in una Ord. Min. S. Francisci.

<sup>2</sup> Rubr. gener. Missalis, t. IV, n. 3.

iter agentibus et pro infirmo, adhibetur color violaceus. In Missa pro Sponso et Sponsa, color albus.

**880.** Psalmus *Judica* et *Gloria Patri* ad Introitum et *Lavabo* dicuntur in omnibus Missis votivis, etiam tempore Passionis.

**881.** Si Introitus in Missa Sanctorum incipit voce *Gaudeamus*, nisi aliud adnotetur proprio in loco, omittitur et sumitur e Communi; et *Alleluia* ad Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem omittuntur aut adduntur, si desint, pro diversitate temporis.

**882.** Verba *hodie* et *hodierna die* ubicumque inveniuntur, omittuntur, et verba *natalitia*, *festivitas*, *solemnitas*, etc. mutantur in *memoria*, *commemoratio*, etc.

**883.** *Gloria* dicitur in Missa solemnibus votiva, nisi celebretur in colore violaceo; in Missa votiva alicuius Sancti ratione festivitatis, si celebretur extra Officii diem, sed infra illius Octavam, in Missa de Immaculata Conceptione in Sabbato, et in Missa votiva Angelorum; in aliis Missis votivis omittitur. *Credo* vero solummodo dicitur in Missa votiva de Sancto, de quo Officium actum est, et qui ratione festi *Credo* habet, vel de quo celebratur Missa sollemnis quamvis ratione sui festi *Credo* non habeat <sup>1</sup>; et in votiva, quae dicitur in Dominica pro publica Ecclesiae causa.

**884.** Missa votiva sollemnis aequiparatur Missae duplici I cl., adeoque illas tantum Commemorationes admittit, quae fiunt in dupl. I cl., id est diei Octavae, Dominicae, Feriae maioris, Octavae privilegiatae aut Vigiliae Epiphaniae. Ubi autem praeter Missam votivam can-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 1 April. 1662.

tatur quoque Missa conventualis iuxta ordinem Officii, v. gr. in Cathedralibus aliisque Ecclesiis, in quibus Officium publice agitur et adest sufficiens numerus Clericorum, votiva cantatur sine ulla Commemoratione, sed secunda et tertia Oratio sumuntur de tempore.

885. Si diebus supra num. 875 exceptis, Missa votiva solemniter praescribatur, celebranda est Missa diei, cuius Orationi principali adiungitur Oratio Missae votivae sub unica conclusione; reliquae Commemorationes, si faciendae sunt, dicuntur iuxta ordinem sub distincta conclusione.

886. In Missis votivis privatis, quamvis ex privilegio dicantur in duplicibus (v. gr. apud nos ex privilegio dicitur Missa votiva Immaculae Conceptionis), saltem tres Orationes esse debent<sup>1</sup>; prima scilicet de ipsa Missa votiva, altera de Officio diei, tertia quae ratione Officii esset secunda, v. gr. Commemorationes Sanctorum ritus simpl., Vigiliae, eodem ordine ac in Officio, etc., vel si desint Commemorationes, quae esset tertia ratione diversitatis temporis. Vide num. 512.

887. In supradictis Missis votivis hae Orationes sic variantur: in Adventu, *Deus, qui de B. M. V.*; ab Octava Epiphaniae ad Purificationem, *Deus, qui salutis*; a Purificatione ad Dominicam Passionis, et ab Octava Pentecostes ad Adventum, *A cunctis*; in Hebdomada Passionis, *Ecclesiae tuae* vel pro Papa; tempore paschali et infra Octavas communes, *Concede*.

888. Excipiuntur tamen ab hac regula: 1. Missa votiva B. M. V., in qua tertia Oratio est semper de Spiritu sancto; 2. Missa votiva S. Petri tantum vel S. Pauli,

<sup>1</sup> S. Rit. C. Decret. gener. 18 Februar. 1818.

in qua secunda Oratio dicitur de alterutro iuxta qualitatem Missae, et tertia de Officio diei: si vero votiva sit utrique Apostolo communis, eo tempore quo ponenda est Oratio *A cunctis*, in ipsius loco dicitur *Concede nos* de B. M. V.; 3. Missa votiva quae forte dicitur Feria tertia Rogationum, cum de hac peractum est Officium: in ea nempe secunda Oratio est de Rogationibus utpote de Officio, et tertia *Concede*, quia praescripta in Missa Rogationum; 4. Missa votiva pro gratiarum actione, in qua tertio loco dicitur Oratio *Deus, cuius misericordiae non est numerus* etc.

889. Alia exceptio a regula num. praeced. fit in Missa votiva pro Defunctis, in qua unica vel plures dicuntur Orationes, ut in Missali adnotatur.

890. Post Commemorationes et Orationes de Tempore, aliae ad libitum Celebrantis addi possunt, ita tamen, ut septenarium numerum non excedant.

891. Graduale et Tractus in Missis votivis variantur iuxta diversitatem temporis, et e Communi sumuntur, si propria non sint. Sequentia alicui Missae propria in votiva semper omittitur.

892. In Missis votivis, si festum propriam habeat Praefationem, sumitur propria; si non habeat, de Octava, aut de Tempore, aut de Communi more solito. Nunquam tamen usurpatur Praefatio propria festi occurrentis, quamvis in Missa votiva de eo fiat Commemoratio, nec de Trinitate, si in Dominica aliquam ob causam celebretur Missa votiva<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Decemb. 1684, in una Canon. Regul. Lateran., ad 8; et 16 April. 1853, in una Ord. Min. Observ., ad 27.

893. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicuntur in omnibus Missis, etiam votivis, durante festi Octava, etiamsi Missa votiva propriam habeat Praefationem.

894. *Ite Missa est* dicitur in Missis votivis quoties in ipsis dicitur *Gloria*, secus autem *Benedicamus Domino*, respective *Requiescant in pace*. Et in fine dicitur semper Evangelium S. Ioannis.

895. Missa votiva, quando deest causa sufficiens et Ordinarii indictio, non potest cantari ad arbitrium Celebrantis, nisi dies votivam privatam admittat, et tunc cantatur sine *Gloria*, *Credo* etc. more votivae privatae.

896. Missis votivis solemnibus aequiparatur Missa sollemnis, quae cantatur aut dicitur in festo suppresso et translato in Dominicam sequentem; item Missa sollemnis de Titulo vel Dedicatione Ecclesiae seu Oratorii publici, celebranda in Ecclesia seu Oratorio, quamvis eius Officium recitatum non fuerit; denique Missa sollemnis de aliquo festo, cuius Officium fit alio die, celebranda propter populi extraordinarium concursus, ad lucrandas Indulgentias, etc. Sed in omnibus his casibus unam Missam de hoc festo celebrare licet in colore festi, sub ritu dupl. I cl., cum Commemoratione Officii diei, Dominicae, et aliorum occurrentium, quae in duplicibus I cl. commemorari possunt, et cum ultimo Evangelio Dominicae<sup>1</sup>, aut Feriae, aut Vigiliae si occurrat. Omnes aliae Missae privatae, nisi dies permittat Missas votivas, sint conformes Officio diei absque Commemoratione illius festi seu Missae festivae.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 8 April. 1808, ad 8: 22 Iulii 1848: et 12 Aug. 1854, ad 5 et 7.

§ II. — De Missis votivis privatis in Missali Romano assignatis in specie.

897. Quae in Missis votivis privatis, in Missali Romano assignatis, servanda sint, sequenti tabula indicantur, et subsequentibus numeris speciatim (quantum opus est) explicantur.

MISSA VOTIVA	COLOR	MISSA	GLORIA	ORATIONES	CREDO	PRAEFAT.	IN FINE
SS. Trinitat.	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr.	Benedic. Domino
Spir. sancti	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr.	Benedic. Domino
SS. Sacram.	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Nativ.	Benedic. Domino
Passionis	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
SS. Crucis	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
De SSmo. Cor. Iesu	Albus	Egredi- mini	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Nativ. vel de Cruce	Benedic. Domino
B. M. V.	Albus	Prop.	Om. nisi in Sab.	2 diei curr. 3 de Spir. san.	Omitt.	Propr.	Bened. - In Sab. Ite Missa est
De Immac. Concept. in Sabbato	Albus (c)	Prop. ut in festo	Dicitur	2 diei curr. 3 de Spir. san.	Omitt.	Propr.	Ite Missa est
Angelor.	Albus	Prop.	Dicitur	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Ite Missa est
Apostolor.	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 diei cur. 3 de B. M. V. (a)	Omitt.	De Apost.	Benedic. Domino
Sanctorum	ut in eorum festo	Prop. vel de Com.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr. vel Comm.	Benedic. Domino
Pro Sponsis	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm.	Benedic. Domino
Pro quacunque Necess.	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Benedic. Domino
Pro Infirm.	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Benedic. Domino
Pro Defunc.	Niger	Una ex Prim. vel Quotid.	Omitt.	unic. vel plur. ut in Missal.	Omitt.	Comm.	Requiescant in pace

(a) 3 Or. *Concede nos famulos*, si in Missa diei dicitur or. *A cunctis*. — (b) Vel de Oct. vel de Temp. — (c) De Imm. Concept. 2 or. de Offic. occurr., 3 de Spiritu s. quae tamen omitt. si in Offic. occurrat aliq. Comm. simplic. aut festi.  
N. B. In fine dicitur semper Evang. S. Ioannis *In principio*.